



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]**

**Baldi, Camillo**

**[Bononiae], 1629**

Qualitates vnguium contemplari incipiuntur. [Cap. XV.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13286**

Quorum autē molles existunt, eos fœminas fœminarumq; mores exercere aiunt; si cum paruitate mollities fuerit coniuncta, sed vt est dictum, quæ fortuita, à causaque penitus externa pendent, nullum in corpore nostro faciunt indicium neque de his quidquam rationabiliter asseri potest.

*Qualitates vnguum contemplantur. Cap. XV.*

**Q**ualitatum aliæ à sensibus immediate cognoscuntur, sicuti odores, colores, & quæ propria, & communia vocantur sensibilia, aliæ cum sensu, vel nō sine sensu innoscunt, quales sunt potentie, & inclinationes, quas non dicimus esse sensibiles, mediante tamen sensu, cognoscuntur, sicuti mediantibus perspicillis minutæ literas vident senes. Cum autem multa per sensus iudicet intellectus, nos de his tantum quæ per visum, & tactum fiunt manifesta in vnguis mentionem faciemus; Per visum immediate cognoscimus colores, hi enim sunt propria oculorum obiecta; color albus in vngue apparet, qui quamvis diaphanus sit multum tamen terræ puræ possidet, quare mollificabilis quidem est vnguis; non tamen liquabilis, vt cera, vel plumbum; & quoniā diaphanus est, ergo & carnis sibi subiectæ colorem refert; Cum autem erit albus purus eboris colorem repræsentans, quoniam tales erunt tendines, nerui, & cerebrum, probabile est, virum huiusmodi esse bonum, quoniam secundum naturā est dispositus, humile, misericordem, placidum, pituitosi sanguinis naturā referentem; si pallor superauerit, manifestum erit non parū melācholici humoris in mixtione tendinis, & cerebri reperiri; erit igitur calidus, & qui sibi prouidere sciat; Chyromantæ, vocant hunc dolosum, alienarum rerum furtiuum appetitorem, infidelem; Putarem rationabilius forsitan vocandum timidum, & infidolum, calumniatorem, & detractorem, vilem, neque audacem ad dicendum quæ sentiat; Quapropter relictis horum diuinaculorum somnijs dicamus. Quos videbimus eburneos,

C

sub

sub pallidosq; & bene formatos habere vngues, illos putabimus esse temperamēti secundum cerebrum pituitosi, cum sub dominio melancholie, quare humidi in secundo gradu, & siccii in primo; ad actiones quidem tardi, sed ad disciplinas satis accommodati, nam, & propter pituitam, & humiditatem facile impressiones capient; & propter subsequentem siccitatem receptas sustinent, in actionibus, & operationibus tardi quidem, sed tamen considerati, & prudentes, & modesti, sunt enim minus quam aliquando oporteret, audaces quoniam frigidiores, at non ob id illiberales, mansueti, & omnino ciuiles, & amabiles, & qui possint ignoscere seruis; Et signo læso non insanire lagænæ; At quibus mulieribus huiusmodi acciderint vngues, illæ erunt pudicæ; curatrices rei familiaris, suis maritis obsequentes, honoris amantes, loquaces tamen, & curiosæ, aliquando forte plus quam deceat, & propter hoc etiam indignabundæ. Qui chyromantiæ dant operam, credunt prædictos vngues docere viros infortunatos, qui à principibus odio habeantur, ijsque sint despecti, qui à suis domesticis vim patiantur si mariti, ab vxoribus per insidias pene occiduntur. Hosque hominum genus timidum, & superstitionis appellant; sed hæc, quoniam in se nihil rationabile habent, neque quod credantur, est dignum. In morbis percutitis pallidi vngues mortem esse propinquam, & quo pallor est intensior mortem indicant esse propiorem, & eo magis cum pallor omni penitus caret fulgore, & ad nigrum quandam lurorem accedit.

*De colore nigro, fuscō, liuido ungivum, &c alij. Cap. XVI.*

**C**olori albo, eburneoque lucido opponitur color niger, fuscus, liuidus, obscurus; Hic si niger erit atram bilinem in tendinibus præualere docebit, quare & substantiam cerebri ad melancholiā accedere, eamque duritiem aliquam habere subfrigidam, quare hominem iudicabis ceruicisum,